

ex ea quoque non dedignabitur nasci. Nemo sane id sibi arrogare præsumat, nisi quos ipse speciali designatione tanquam digito monstraverit, dicens: *Ecce mater mea, et fratres mei* (Matth. XII, 49). Enim vero audi unum ex istis: *Filioli mei*, ait, *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (Galat. IV, 19). Si enim nasci videbatur in eis, cum formabatur Christus in eis; quomodo non etiam ab eo similiter nasci eum dicere quis præsumat qui in ipsis quodammodo parturiebat? **776** Et tu quidem, impia Synagoga, hunc nobis filium peperisti, officio quidem matris, sed non matris affectu. Excussisti eum de sinu tuo, extra civitatem ejiciens, et elevans super terram, tanquam dicens Ecclesiæ gentium, pariter et Ecclesiæ primitivorum quæ est in cælis: Nec mihi, nec vobis sit, sed di-

A vidatur. Dividatur, inquam, non inter utraque, sed ab utrisque. Expulsum enim, et exaltatum, et elevatum, et quidem modice satis, tamen ut nec in tuis esset mœnibus, nec in terra, ferro undique coarctasti, ne forte vel hac vel illac excederet: ut videlicet a te separatus, ad neutram perveniret illarum. Sæva nimirum mater ita abortivum facere voluisti, dum non esset qui excipere posset excussum. Age ergo, quid profeceris, imo quam nihil profeceris intueri. Undique enim egrediuntur filia Sion, ut videant regem Salomonem in diademate quo coronasti eum. Relinquens matrem adhæret uxori suæ, ut sint duo in carne una; et civitate pulsus, atque exaltatus (*alias levatus*) a terra, omnia trahit ad se, quippe qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen.

IN NATIVITATE DOMINI.

SERMO I.

De fontibus Salvatoris.

1. Grandis quidem est, dilectissimi, hodierna Dominicæ Nativitatis solemnitas; sed dies brevis cogit breviare sermonem. Nec mirum, si facimus nos breve verbum, quando et Deus Pater Verbum fecit abbreviatum. Vultis nosse quam longum, quam breve fecit? *Cælum*, inquit hoc Verbum, *et terram ego impleo* (Jerem. XXIII, 24). Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est. *A sæculo*, ait Propheta, *et in sæculum tu es Deus* (Psal. LXXXIX, 2: et ecce factus est infans diei unius. Ad quid hoc, fratres, aut quæ necessitas fuit ut sic exinaniret, sic humiliaret, sic abbreviaret se Dominus majestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Jam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. XI, 29): ut verax inveniatur qui dicit: *Cæpit Jesus facere, et docere* (Act. I, 1). Obsecro proinde et plurimum rogo, fratres, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, et renovamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est custosque virtutum: sectamini illam, quæ sola potest salvare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut, videns Deum cæli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentiæ est ut, ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur et intumescat.

2. Hoc igitur est propter quod exinanivit se formam servi accipiens, qui in forma Dei Patriæqualis erat; sed exinanivit majestate et potentia, non bonitate et misericordia. Quid enim ait Apostolus? *Apparuit*, inquit, *benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* (Tit. III, 4) Apparuerat ante potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiæ nunc maxime apparuit in humanitate. Innotuerat Judæis potestas in signis atque portentis, unde et in ea lege

B sæpius invenies: *Ego Dominus, Ego Dominus*. Philosophis quoque abundantibus in sensu suo majestas innotuit, quoniam juxta Apostoli verba, *quod notum est Dei, manifestum est in illis* (Rom. I, 19). Verum tamen et Judæi potestate ipsa premebantur, et philosophi scrutatores majestatis opprimebantur a gloria. Potestas subjectionem, majestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat, Domine, bonitas, cui possit homo, qui ad imaginem tuam creatus est, conformari: nam majestatem potestatem, sapientiam nec imitari possumus, nec expedit æmulari. Quousque angusta est misericordia tua in sola angelorum parte, reliquam occupat judicium cum toto pariter humano genere? *Domine, in cælo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes* (Psal. XXXV, 6), **777** terram universam condemnans, et aereas potestates. Dilatet misericordia terminos suos, extendat funes, expandat sinus, attingat a fine usque ad finem fortiter, disponens omnia suaviter. Restrictus est, Domine, iudicio sinus tuus; solve cingulum tuum, et veni miserationibus affluens, et supereffluens charitate.

3. Qui tu times, o homo? quid trepidas a facie Domini, quia venit? Venit non judicare, sed salvare terram. Olim tibi persuasum est ab infideli quodam servo, ut furtim tolleres et imponeres regium diadema capiti tuo. Deprehensus in furto, quidni timeres? quidni fugeres a facie ejus? Forte enim jam gladium vibrabat ignitum. Nunc in exilio positus, in sudore vultus tui vesceris pane tuo: et ecce vox audita est in terra, quia Dominator advenit. Quo ibis a spiritu ejus? et quo a facie ejus fugies? Noli fugere, noli timere. Non venit cum armis; non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne forte dicas etiam nunc: *Vocem tuam audivi, et abscondi me* (Gen. III, 10); ecce infans est, et sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est, quam tremenda: aut si cui forte terribilis, sed non tibi. Parvulus factus est, tenera membra Virgo mater pannis alligat; et adhuc timore trepidas? Vel in hoc scies quia non venit perdere te, sed salvare; eripere, et non

ligare. Jam adversus hostes tuos dimicat, jam superborum et sublimium colla tanquam Dei virtus et sapientia calcat.

4. Duo sint tibi hostes, peccatum et mors, id est mors corporis et animæ. Utrumque debellaturus advenit, et ab utroque salvabit te : noli timere. Et jam quidem peccatum in propria persona vicit, quando humanam naturam sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, et revera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infecisse et occupasse gloriabatur, ab eo penitus aliena in Christo inventa est. Dehinc persequitur inimicos tuos, et comprehendit eos ; nec convertitur donec deficient. Contra peccatum dimicans in conversatione sua, verbis pariter et exemplis oppugnat ; sed in passione sua alligat illud, alligat plane fortem, et diripit vasa ejus. Jam vero eodem ordine mortem quoque superat prius in se ipso, cum resurgit primitiæ dormientium, et primogenitus mortuorum : postmodum debellaturus eam pariter in omnibus nobis, quando videlicet suscitabit mortalia corpora nostra, et destruetur novissima inimica mors. Propterea enim resurgens decorem indutus est, non (sicut antea nascens) pannis involutus est. Propterea qui prius sinu misericordiæ affluebat non judicans quemquam, resurgens præcinxit se, et justitiæ cingulo videtur quodammodo effluentem sinum misericordiæ collegisse : quoniam extunc preparatur ad iudicium, quod in nostra resurrectione futurum est. Nam et propterea parvulus antea venit, ut misericordiam prærogaret ; et futurum in fine iudicium præcurrens, misericordia temperaret.

5. Licet enim parvulus ad nos venerit, non parum tamen attulit, non parum contulit nobis. Si quæris quid attulit : primo omnium attulit misericordiam, secundum quam, teste Apostolo *salvos nos fecit* (Tit. III, 5). Neque enim his tantum profuit, quos tunc præsens invenit ; sed fons est qui nunquam poterit exhauriri. Fons nobis est Christus Dominus unde lavemur, sicut scriptum est : *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris* (Apoc. I, 5). Verumtamen non iste solus aquarum est usus ; nec tantum sordes abluunt, sed et sitim extinguunt. *Beatus vero*, ait Sapiens, *qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur* (Eccli. XIV, 22) ; et post pauca : *Aqua*, inquit, *sapientiæ salutaris potabit illum* (Eccli. XV, 3). Bene *sapientiæ salutaris*, quoniam sapientia carnis mors est, et sapientia mundi etiam ipsa inimica est Deo. Sola quæ ex Deo est sapientia salutaris est, quæ secundum beati Jacobi definitionem *primum pudica, deinde pacifica est* (Jacob. III, 17). Nam sapientia carnis voluptuosa est, non pudica : sapientia mundi tumultuosa est, non pacifica. Sapientia vero quæ ex Deo est, primum pudica est, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ut non suam quisque faciat volun-

tatem, sed consideret quæ sit voluntas Dei ; deinde pacifica, non abundans in suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio vel iudicio.

6. Tertius aquarum usus est irrigatio, quam profecto maxime necessariam habent novellæ plantationes : alioquin aut minus proficient, aut ex toto peribunt præ siccitate. Quærat ergo devotionis aquas, quisquis seminaverit bonorum operum semina : ut irrigatus fonte gratiæ, bonæ conversationis hortus non arescat, sed in perpetua viriditate proficiat. Orat enim pro hujusmodi Propheta : *Et holocaustum tuum*, inquit, *pingue fiat* (Psal. XIX, 4). Sic et in laudibus Aaron legis, quoniam sacrificium ejus quotidianus ignis assumpsit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, nisi ut bona opera fervore devotionis et dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Putas inveniri poterit quartus fons, ut paradisum recuperemus quatuor fontium irrigatione amœnissimum ? Nam si terrenum paradisum denuo nobis reddendum non speramus, quomodo regnum cælorum sperabimus ? *Si terrena*, inquit, *dixi vobis et non creditis ; quomodo, si dixerero vobis cælestia, creditis* (Joan. III, 12). Nunc autem, ut de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum ; paradisum habemus multo meliorem et longe delectabiliorem, quam primi parentes habuerunt, et paradisus noster Christus Dominus est. In quo tres quidem fontes jam invenimus : quartum quæramus. Habemus de fonte misericordiæ ad diluendas culpas, aquas remissionis ; habemus de fonte sapientiæ ad potandam sitim nostram, aquas discretionis ; habemus de fonte gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas devotionis : quæramus ad decoquendos cibos aquas ferventes, aquas æmulationis. Hæ nimirum condiunt et decoquunt affectiones nostras, et ebulliunt de fonte charitatis. Unde ait Propheta : *Concaluit cor meum intra me ; et in meditatione mea exardescet ignis* (Psal. XXXVIII, 4) ; alibi quoque : *Zelus*, inquit, *domus tuæ comedit me* (Psal. LXVIII, 10). Siquidem ex dulcedine devotionis diligens justitiam, ex fervore æmulationis odio habet iniquitatem. Et vide ne forte de fontibus istis prædixerit Isaias : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Nam ut promissionem hanc vitæ præsentis esse noveris, non futuræ, illud attende quod sequitur : *Dicetis in illa die : Confitemini Domino, et invocate nomen ejus* (Isai. XII, 3, 4). Invocatio quippe præsentis temporis est, sicut scriptum est : *Invocate me in die tribulationis* (Psal. XLIX, 15).

7. Porro ex his quatuor fontibus, tres quidem proprie convenire videntur tribus Ecclesiæ ordinibus, singuli singulis (10*). Nam primus quidem communis est omnibus. In multis enim offendimus omnes : et necessarium habemus misericordiæ fontem ad diluendas offensionum sordes. Omnes, inquam, peccavimus, et egemus gloria Dei (Rom. III, 23) : et prælati, et continentes, et conjugati, si dixerimus

(10*) Confer sermonem 96 de Diversis, ubi hos fontes aliter explicat.

quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus **A** (*I Joan.* 1, 8). Quia ergo nemo mundus a sorde, necessarius est omnibus fons misericordiæ, et pari voto debent ad hunc fontem Noe, Daniel et Job properare. De cætero quidem Job maxime sapientiæ fontem quærat : quoniam ipse magis inter medios laqueos ambulat, ita ut magnum videatur, si a malo declinat. Danieli vero currendum est ad fontem gratiæ, cui nimirum pœnitentiæ opera et labores abstinentiæ devotionis gratia necesse est impinguare. Oportet enim ut nos maxime in hilaritate omnia faciamus; quoniam hilarem datorem diligit Deus (*II Cor.* ix, 7). Nam et terra nostra nequaquam fertilis est hujusmodi seminis, bonæ scilicet conversationis : ideoque facile exarescet, nisi crebris irrigationibus adjuvetur. Unde et in oratione Dominica hujusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Merito sane, ne forte cadat super nos terribilis illa maledictio propheticiæ imprecationis : *Fiant sicut fenum tectorum quod, priusquam evellatur, exaruit* (*Psal.* cxxviii, 6). Fons vero æmulationis Noe convenit **779** specialiter, quia maxime praelatos decet hic zelus.

8. Quatuor itaque fontes istos adhuc in carne viventibus nobis in semetipso Christus exhibet : quintum, qui est fons vitæ, post hoc sæculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta cum diceret : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* (*Psal.* xli, 2). Et fortassis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce : propter quintum, cum jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Vivebat adhuc, quando foderunt ei manus et pedes, ut nobis adhuc viventibus quatuor fontes ex se ipso proferret : quintum pertulit vulnus cum jam exspirasset, ut in se nihilominus quintum nobis fontem post obitum aperiret. Sed ecce dum loquimur de mysteriis Nativitatis, ad scrutanda repente venimus sacramenta Dominicæ Passionis. Nec mirum tamen si quærimus in Passione, quid in Nativitate sua Christus attulerit. Tunc enim conscisso sacco pecuniam quæ latebat, in pretium nostræ redemptionis effudit.

SERMO II.

De tribus præcipuis Dei operibus, et triplici commistione.

1. *Magna opera Domini*, ait propheta David (*Psal.* cx, 2). Magna quidem omnia opera ejus, fratres, siquidem magus et ipse : sed ad nos maxime spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod psallit idem propheta, dicens : *Magnificavit Dominus facere nobiscum* (*Psal.* cxxv, 3). Denique quam magnifice nobiscum agat, specialiter tria quædam ejus opera clamant; primæ nostræ creationis, præsentis redemptionis, futuræ glorificationis. Quam magnificata sunt in singulis opera tua, Domine! Tuum est virtutem operum tuorum annuntiare populo tuo, nos ipsa saltem opera non silemus. Triplicem, fratres, commistionem in his tribus considerare es cælestis plane operis, et divinæ virtutis.

Nam in primo opere conditionis nostræ de limo terræ plasmavit hominem Deus, et inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ. Qualis artifex, qualis unitor rerum, ad cuius nutum sic conglutinantur sibi limus terræ et spiritus vitæ! Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit Deus cælum et terram : at spiritus sane non communem, sed propriam habet conditionem; nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce, o homo, dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ. Est enim tibi cum mundo corpus : sic enim decet eum qui constitutus est super universam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei simili ex parte. Sed est tibi etiam sublimius aliquid, nec omnino comparandus es cæteris creaturis. Compacta et confederata sunt in te caro et anima; illa plasmata, hæc inspirata.

2. Sed cuius interest hæc commistio? cui hæc unione præstatur? Etenim juxta sapientiam filiorum hujus sæculi, ubi sociantur summis inferiora, prævalent qui potestatem habent, et humilioribus utuntur pro libito suo. Conculcat fortior minus fortem; ridet sapiens indoctum, simplicem fallit astutus, potens despicit imbecillum. Non sic in opere tuo, Deus, non sic in tua commistione; non ad hoc sociasti spiritum limo, sublimem humili, dignam et excellentem creaturam abjectæ et inutili massæ. Quis non videat, fratres, quantum corpori præstet anima? Nunquid non truncus esset insensibilis caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritas visus et sonus vocis : denique sensus omnis ab anima est. Charitatem mihi conjunctio ista commendat, charitatem in hac ipsa conditionis propriæ pagina lego : charitatem in ipso statim principio non solum prædicat, sed ingerit mihi manus benignissima Creatoris.

3. Et quidem magna hæc conjunctio, dilectissimi, sed si stabilis permansisset. Nunc autem licet divino **780** fuerit munita sigillo (ad imaginem quippe et similitudinem suam creavit Deus hominem), heu! disruptum est sigillum, et unitas dissipata. Accedens pessimus ille latro recens adhuc sigillum fregit : et sic mutata similitudine divina, comparatus est miser homo jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* xlviii, 13). Rectum quippe fecit Deus hominem : atque hæc similitudo ejus, de quo scriptum est : *Quia rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (*Psal.* xci, 16). Veracem quoque et justum fecit eum, sicut et ipse veritas et justitia est : nec unitas ipsa posset disjungi, dum sigilli hujus integritas permaneret. Verum supervenit falsarius, qui indoctis sigillum promittens melius, væ, væ! fregit quod erat manu divinitatis impressum. *Eritis, inquit, sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* iii, 5). O malevole! o maligne! ad quid eis hujus similitudo scientiæ? Sint certe sicut dii, recti, justique; veraces sint, sicut Deus, in quem peccatum non cadit. Hoc quippe sigillo stante, stabit unitas illa. Jam experimur miseri, quid nobis

persuaserit versutia diabolicæ fraudis. Fracto namque sigillo, sequitur amarum discidium, triste divorcium. Ubi est quod dixisti, nequam, *Nequaquam moriemini? Ecce enim morimur omnes, et non est homo qui vivat, et non videat mortem.*

4. Sed quid erit, Domine Deus? nunquamne reparabitur opus tuum, et qui ceciderit non adjiciet ut resurgat? Non est qui reficiat, nisi qui fecit. Itaque *propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus: ponam in salutari, fiducialiter agam in eo (Psal. xi, 6). Nihil siquidem proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei (Psal. lxxxviii, 23).* Novam, inquit, ego facio commisturam, ubi et expressius, et robustius pono sigillum, eum qui non ad imaginem meam factus est, sed est ipsa imago, splendor gloriæ, et figura substantiæ, non factus, sed genitus ante sæcula. Et ne forte timeas esse frangendum, audi Prophetam: *Arui, inquit, tanquam testa virtus mea (Psal. xxi, 16);* sed talis testa, cui nec ipse malleus universæ terræ nocere ullo modo possit. Sane cum prima ex duobus facta sit, secunda jam cunjunctio fit ex tribus, ut discas ex hoc ipso ad sacramentum accedere Trinitatis. Verbum, quod erat in principio apud Deum, et Deus erat; anima, quæ de nihilo creata est, et ante non erat, caro de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio; qualis nulla jam caro erat; vinculo indissolubili in personæ coeunt unitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: quod non erat, creatum; quod perierat, reparatum; quod super omnia erat, paulo minus ab angelis minoratum. Hæc sunt evangelica illa sata farinæ, quæ pariter fermentantur (*Matth. xiii, 33*), ut sit panis angelorum quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus, superveniente igne sancti Spiritus, coctus est panis iste (*al. vitæ*). Felix, inquam, mulier quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit, et, ut ait Elisabeth, beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea quæ dicta sunt ei a Domino (*Luc. i, 45*). Nec mireris quod fide ejus mediante unitum dixerim Verbum carni, quandoquidem et carnem ipsam de ejus carne suscepit. Sane ne hoc quidem præsentis expositioni obviare potest, quod de cœlestis regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur, si cœlorum regnum fidei Mariæ comparatur, qua et reparatur.

5. Hujus itaque vinculum unionis nulla omnino solvere poterit creatura: siquidem nec princeps hujus mundi habet in eo quidquam, nec ipse Joannes solvere dignus est corrigiam calceamenti. Quid tamen? Solvatur certe aliquatenus necesse est: alioquin quod dissolutum est, non resolidatur. Panis integer, thesaurus absconditus, sapientia occulta, quæ utilitas in his omnibus? Merito flebat Joannes non inveniri qui aperiret librum, et solveret signacula

(11) In manuscripto Gallico Fulviensium legitur, *tria*, et rectius.

A ejus (*Apoc. v, 4*): dum enim clausus staret, nemo ex nobis divinam illam attingere sapientiam prævaleret. Aperi tu librum, Agne Dei, vera mansuetudo. Fodiendas expone Judæo **781** manus tuas et pedes, ut qui in eis latet procedat thesaurus salutis, et copiosa redemptio. Frange denique esurientibus panem tuum. Solus enim frangere potes, qui solus, ut confrica solidus, stare potes: et in ipsa confectione solus postestatem habes ponendi animam, cum volueris, resumendam. Tua igitur miseratione solvatur aliquatenus hoc templum, sed non penitus dissolvatur. Separetur ab anima caro, sed Verbum sane et carnis servet incorruptionem, et animæ plenam conferat libertatem: ut sola inter mortuos libere agat, educens vinctos de domo carceris, sedentes in tenebris et umbra mortis. Ponat anima sancta carnem immaculatam, sed resumendam tertia die: ut moriens mortem perimat, et vita hominum cum resurgente resurgat. Ita factum est, dilectissimi, et ita factum esse gaudemus. Morte illa mors mortua est, et regenerati sumus in spem vitæ per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.

6. Jam quid futurum sit in unione tertia, quis loquetur? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor. ii, 9*). Consummatio erit illa, cum tradiderit Christus regnum Deo et Patri: et erunt duo non jam in carne una, sed in spiritu uno. Etenim si adhærens carni Verbum, factum est caro; multo magis qui adhæserit Deo, unus spiritus erit cum eo. Et in hac quidem unione, media humilitas exhibetur, et humilitas magna nimis: in ea vero quam exspectamus, ad quam suspiramus, perfecta nobis (si tamen nobis) reposita glorificatio est. Quod si meminimus in prima conjunctione, qua ex anima et carne compactus est homo, charitatem commendari; merito humilitas eminent in secunda, quia sola virtus humilitatis est læsæ reparatio charitatis. Porro quod unitur rationalis animæ creatura terreno corpori, omnino non est humilitati adscribere: siquidem non ex deliberatione propria carni miscetur, sed creando immittitur, immittendo creatur. Non sic sane summus ille Spiritus, qui cum esset magis bonus, ipso beneplaciti sui arbitrio accessit ad corpus incoinquinatum. Merito denique charitatem et humilitatem sequitur glorificatio, quia sine charitate nihil prodesse potest; et nemo, nisi qui se humiliat, exaltabitur (*Luc. xiv, 11*).

SERMO III.

De loco, tempore et aliis circumstantiis Nativitatis.

1. Duo (11) quædam rerum genera, fratres, in hac Nativitate Domini considero, non solum diversa, sed et dissimilia valde. Siquidem et puer qui nascitur, Deus est; et mater de qua nascitur, virgo est; et partus ipse sine dolore est. Fulget in tenebris lux nova de cœlo; gaudium magnum angelus evangelizat; laudat multitudo cœlestis militiæ; datur gloria Deo, pax hominibus bonæ voluntatis; currunt pas-

tores, inveniunt quod ad eos dictum est verbum, nuntiant aliis : quicumque audiunt, admirantur. Hæc et his similia, dilectissimi, divinæ virtutis sunt, non fragilitatis humanæ. Vasa sunt aurea et argentea, quibus pro tanta solemnitate in mensa Domini etiam egenis quibusque hodie ministratur. Non est nobis tollere ista, non nobis datur aureus discus aut scyphus, sed qui in eis est cibus et potus. *Diligenter considera*, ait Sapiens, *quæ tibi apponuntur* (*Prov. xxiii, 1*). Et ego certe agnosco mea esse Nativitatis hujus tempus et locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitus et lacrymas ; sed et ipsorum quibus primo annuntiatur nativitas Salvatoris, paupertatem pastorum atque vigiliis. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. Hieme natus est, nocte natus est Christus. Nunquid credimus casu factum ut in tanta aeris inclementia et in tenebris nasceretur, cujus est hiems et æstas, dies et **789** nox ? Non eligunt parvuli cæteri quando nascantur : quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere, nullus subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus, fratres, etsi homo non erat (12), erat tamen in principio apud Deum, et Deus erat, ejusdem, cujus nunc est, sapientiæ et potestatis, utpote Dei virtus, et Dei sapientia. Nasciturus itaque Dei Filius, cujus in arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus, elegit quod molestius est, præsertim parvulo, et pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et certe cum esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus obvolvitur. Non est tale iudicium mundi : aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam. Merito proinde et carnis prudentia (mors siquidem et ipsa) inimica est Deo (*Rom. viii, 7*) ; et sæculi quoque prudentia stultitia nominatur (*I Cor. iii, 19*). Quid enim ? Christus utique, qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum : quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam a seductore cavendum.

2 Jam vero etiam nocte voluit nasci. Ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos ? Christus eligit quod salubrius iudicat : vos eligitis quod reprobatur ille. Quis prudentior e duobus ? cujus iudicium justius ? cujus sententia sanior ? Denique tacet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat : et ecce annuntiat eum angelus, laudat multitudo cœlestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, et in præsepio reclinatur. Et nonne ipse est qui dicit : *Meus est orbis terræ, et plenitudo ejus* ? (*Psal. xlix, 12*.) Quid ergo stabulum elegit ? Plane ut reprobet gloriam

(12) Aliis deest particula, *non*, sed retinenda omnino, ut sit sensus Christum non fuisse hominem ante hanc nativitatem, sed tantum Deum.

A mundi, damnet sæculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, et quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant : ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, subvertitur, confutatur. Quis enim hominum, si daretur optio, non magis eligeret robustum corpus et ætatem intelligibilem, quam infantilem ? O Sapientia, quæ de occultis traheris ? o vere incarnata et velata Sapientia ! Et tamen, fratres, ipse est promissus olim per Isaiam parvulus, sciens reprobare malum, et eligere bonum (*Isai. vii, 15*). Malum ergo voluptas corporis, bonum vero afflictio est : siquidem et hanc eligit, et illam reprobatur puer sapiens, Verbum infans. Verbum enim caro factum est, et caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro impotens, omnis operis, omnis laboris impatiens.

B **3.** Et vere, fratres, Verbum factum est caro, et sic habitavit in nobis. Dum esset in principio apud Deum (*Joan. i, 24*), lucem habitabat inaccessibleem (*I Tim. vi, 16*), et non erat qui caperet illud. Quis enim investigavit sensum Domini ? aut quis consiliarius ejus fuit ? (*Isai. xl, 13*.) Carnalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor. ii, 14*) : sed jam capiat et carnalis, quia Verbum factum est caro. Si nihil præter carnem novit audire, ecce Verbum caro factum est : audiat illud vel in carne. O homo, in carne tibi exhibetur Sapientia : illa quondam occulta, ecce jam trahitur de occultis, et ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter, ut ita dixerim, prædicatur tibi : Fuge voluptatem, quia posita est mors secus introitum delectationis : age poenitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei (*Matth. iii, 2*). Hoc tibi prædicat stabulum istud hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia manifeste loquuntur, hoc lacrymæ et vagitus evangelizant. Plorat quippe Christus, sed non sicut cæteri, aut certe non quare cæteri solent. In aliis sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. **783** Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave, quod est super omnes filios Adæ : Christus filiorum Adæ peccata deplorat. Et certe pro quibus nunc lacrymas fundit, postea fundet et sanguinem. O duritia cordis mei ! Utinam, Domine, sicut Verbum caro factum est, ita et cor meum carneum fiat ! siquidem et hoc pollicitus es per prophetam : *Auferam, inquit, a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech. xi, 19*).

C **4.** Fratres, lacrymæ Christi mihi et pudorem pariunt, et dolorem. Ludebam ego foris in platea, et in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus : exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens et ejulans, quod morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitatem, causam percontor

et audio. Quid facturus sum? adhucne ludam, et deludam lacrymas ejus? Plane si insanus sum et mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor? Dolor et timor unde? Utique quia ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar: et ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei altissimi, et jubetur occidi; ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, et mortem, sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filius moreretur. Pudet itaque, dilectissimi, propriam negligenter dissimulare passionem; cui tantam a majestate tanta exhiberi video compassionem. Compatitur Filius Dei, et plorat: homo patitur, et ridebit? Sic et medicinæ æstimatio, et doloris mihi et timoris exaggeratio est.

5. Verum si diligenter observem præcepta medici, erit etiam consolationis occasio. Sicut enim gravem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina; sic et ex hoc ipso non incurabilem esse conector. Neque enim pretiosissimas species frustra insumeret medicus sapiens, imo sapientia ipsa. Porro frustra insumi constat, non solum si absque ois facilis esset curatio, sed multo magis et si cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad poenitentiam, et accendit vehementius desiderium spes concepta. Sane accedit ad consolationem ipsa quoque, quæ pastoribus vigilantibus exhibita est, visitatio et allocutio angelorum. Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram, ut jam non mereamini habere cœlestem! Quam multi enim nobiles secundum carnem, quam multi potentes; quam multi sapientes hujus sæculi, hora illa in stratis mollibus quiescebant; et nemo eorum dignus habitus est novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, angelos audire cantantes: *Gloria in excelsis Deo* (Luc. ix, 14)! Agnoscant igitur homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab angelis non merentur. Agnoscant quam placeat supernis civibus labor cujus spiritualis intentio est, quandoquidem et eos qui pro victu corporis, corporali urgente necessitate, laborant, suo dignantur alloquio, et alloquio tam felici. Nimirum humanum in eis agnoscunt ordinem [alias ordinationem], quo constituit Deus ut in sudore vultus sui vescatur Adam pane suo (Gen. iii, 19).

6. Obsecro vos, dilectissimi, considerate diligentius, quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione et salute: ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus et efficax, sermo fidelis et omni acceptione dignus; sermo non tam oris quam operis. Putatis, fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuum et sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imo et nihili, quam jus-

tius indignabitur Dominus majestatis, si tantam ejus operam nostra aut durtia aut negligentia contingat evacuari? Avertat hoc a servulis suis, qui pro eorum salute induere dignatus est formam servi, Unigenitus Dei Patris, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula! Amen.

SERMO IV.

De eo quod pastores invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.

1. Agnoscite, fratres dilectissimi, quanta sit hodierna solemnitas, cui et dies brevis, et terræ angusta est latitudo. Loco pariter et tempore dilatatur. Noctem præoccupat, cœlum replet antequam terram. Nox enim ut dies illuminata est, cum intempestæ noctis hora pastores circumfulsit lux nova de cœlo. Et ut noveritis quo in loco solemnitatis hujus cœperint gaudia celebrari; quod jam angelis erat, futurum omni populo gaudium evangelizatur: sed et confestim adest divinis personans laudibus cœlestis exercitus multitudo. Hinc est quod solemnitas ducitur nox ista præ cæteris, in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus: et his potissimum in vigiliis sine ulla hæsitacione credendum est, cœlestes illos principes prævenire conjunctos psallentibus, in medio juvenularum tympanistriarum. Sed quam multa hodie gemmis et auro fulgent altaria! quanti ubique pallii parietes adornantur! Putas ad hæc divertent angeli, et pannosos homines declinabunt? Si ita est, cur pastoribus ovium magis apparuere, quam terræ regibus, quam sacerdotibus templi? Cur et ipse Salvator, cujus est aurum pariter et argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem? Aut certe, cur paupertas ipsa tam sollicitè enarratur ab angelo? Neque enim sine certi ratione mysterii pannis Salvator obvolvitur, et ponitur in præsepio, quando id manifeste in signum nobis commendatur ab angelo. Hoc, inquit, vobis signum: *invenietis infantem pannis involutum* (Luc. ii, 12). In signum positi sunt panni tui, Domine Jesu; sed in signum, cui a multis usque hodie contradicatur. Multi quippe vocati, sed non multi electi, et ideo nec signati. Agnosco certe, agnosco Jesum magnum sacerdotem sordidis operum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. Scientibus Scripturas loquor, et quibus non ignota est prophetica visio Zachariæ (Zach. iii). Ubi vero exaltatum est caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc plane mutavit vestem, decorem induit, amictus lumine sicut vestimento, exemplum dedit nobis, ut et nos eadem faciamus, Utilior siquidem in conflictu lorica ferrea quam stola linea, licet oneri sit illa, hæc honori. Erit cum et membra sequentur caput, ut corpus jam universum uno psallat spiritu, et dicat: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* (Psal. xxix, 12).

2. *Invenietis, inquit, infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Et post pauca: *Venerunt, ait evangelista, festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio* (Luc. ii, 16). Quid est quod sola ab angelo commendari videtur

humilitas, nec tamen sola a pastoribus inveniri? Forte specialius commendat angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetit. Aut propterea certe cœlitus annuntiat humilitas, quod hæc quasi propria virtus divinæ exhibenda sit majestati. Sola tamen non potuit inveniri, quia semper gratia datur humilibus. Invenierunt ergo Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Sicut enim Salvatoris infantia manifestam præterdit humilitatem, sic per Virginem continentia, justitia per Joseph virum justum, cujus laus est in Evangelio, non incongrue designatur. Sane continentiam deberi carni quis nesciat? Justitia vero virtus est, quod suum est cuique tribuens : et hæc erga proximos est necessaria. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subjectos, Deo placet in nobis ; sicut ait Virgo beata : *Respexit humilitatem ancillæ suæ* (Luc. 1, 48). Itaque qui fornicatur, peccat in corpus suum ; qui injuriosus est, in proximum ; qui extollitur et inflatur, in Deum. Fornicator 785 semetipsum dehonestat ; injuriosus molestat proximum ; elatus, quod in se est, Deum inhonorat. *Gloriam meam, Dominus ait, alteri non dabo* (Isai. XLII, 8). Et superbus : Ego, inquit, mihi eam, licet non dederis, usurpabo. Nec enim placet ei angelica distributio, dans *gloriam Deo, pacem hominibus* (Luc. II, 14). Non ergo colit Deum, sed adversus eum extollitur, impius plane et infidelis. Quæ est enim pietas, nisi cultus Dei? Quis vero Deum colit, nisi qui voluntarie ei subjectus est, et sicut oculi servorum in manibus Dominorum, suorum, sic oculi cordis ejus ad dominum Deum suum?

3. Ut ergo inveniat in nobis semper Maria, et Joseph, et infans positus in præsepio ; sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. Propter hoc enim apparuit gratia Dei erudiens nos, et per hoc quoque illius gloria apparebit. Sic enim habes. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos ; ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei* (Tit. II, 11-13). Apparuit in parvulo gratia ad eruditionem : sed *hic erit magnus*, sicut de eo Gabriel locutus est (Luc. I, 32) ; et quos parvulus erudierit ad humilitatem cordis et mansuetudinem, magnificabit postmodum et glorificabit magnus et gloriosus adveniens Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

De verbis Apostoli, « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. » (II Cor. 1, 3, 4).

1. Benedictus, qui propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, misit nobis Filium suum dilectum, in quo ei bene complacuit, per quem reconciliati pacem habeamus ad eum, et idem sit in nobis reconciliationis hujus et mediator, et obses. Non est quod vereamur, fratres mei, sub tam pio mediatore ; non est quod de tam fido obside dubite-

mus. Sed qualis mediator est, inquires, qui in stabulo nascitur, in præsepio ponitur, pannis involvitur sicut cæteri, plorat ut cæteri, denique infans jacet, ut cæteri consueverunt? Magnus plane mediator est, etiam in his omnibus, quæ ad pacem sunt, non perfunctorie, sed efficaciter quærens. Infans quidem est, sed Verbum infans, cujus ne ipsa quidem infantia tacet, *Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester* (Isai. XL, 1). Dicit hoc Emmanuel, *nobiscum Deus*. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat stabulum, curando sese homini, qui in latrones inciderat (Luc. X, 30), præparari ; clamat præsepe, eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat (Psal. XLVIII, 13), pabulum ministrari ; clamant lacrymæ, clamant panni ejusdem ipsius cruenta jam vulnera ablui et detergi : siquidem nullo horum Christus eguit ; nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. *Verebuntur Filium meum*, ait Pater misericordiarum (Matth. XXI, 37). Verum id quidem, Domine, reverentur eum : Sed qui? Non plane Judæi, ad quos missus, sed electi, propter quos missus.

2. Reveremur enim eum nos in præsepio, reveremur in patibulo, reveremur in sepulcro. Devote suscipimus tenerum propter nos, cruentum propter nos, pallidum propter nos, sepultum propter nos reveremur. Devote adoramus cum Magis, devote amplectimur cum Simeone sancto infantiam Salvatoris, suscipientes misericordiam tuam in medio templi tui : siquidem ipse est de quo legimus : *Misericordia Domini ab æterno* (Psal. CII, 17). Alioquin quid coæternum Patri, nisi Filius et Spiritus sanctus? Et uterque quidem non tam misericors, quam ipsa vere misericordia. Nihilominus etiam Pater misericordia est : atqui hi tres non nisi una misericordia, sicut una essentia, una sapientia, una divinitas, una majestas. In eo tamen quod *Pater misericordiarum* 786 dicitur Deus, quis non videat velut proprio nomine Filium designari? Et bene dicitur Pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper et parcere.

3. Sed forte quis dicat : Quomodo illi proprium est misereri, cujus judicia abyssus multa? (Psal. XXXV, 7,) neque enim dicitur : *Omnes viæ ejus sola misericordia ; sed misericordia et veritas* (Psal. XXIV, 10). Non minus justus quam misericors est, cui misericordia et judicium decantatur (Psal. C, 4). Verum id quidem : Cui vult miseretur, et quem vult indurat (Rom. IX, 18) ; sed quod miseretur, proprium illi est. Ex se enim sumit materiam, et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat et condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio quam animadversio procedere videatur. Ipsum audi dicentem : *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, et non magis ut convertatur et vivat?* (Ezech. XVIII, 23.) Recte igitur non Pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed *Pater misericordiarum*, non modo quod pater videatur misereri

potius quam indignari, et quemadmodum pater filiorum misereatur timentium se; sed eo magis quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, iudicandi vel ulciscendi magis ex nostro.

4. Sed si propter hoc Pater misericordiae, quare *Pater misericordiarum*? *Semel locutus est Deus*, ait Propheta, *duo hæc audivi: quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia* (*Psal. LXI, 12, 13*). Cæterum Apostolus nobis in uno Verbo, in Filio uno ipsam quoque misericordiam duplicem commendat, Patrem dicens non unius tantum misericordiae, sed *misericordiarum*; et Deum non unius, sed *totius consolationis, qui consolatur nos* non modo in hac vel illa, sed *in omni tribulatione nostra*. Misericordiae Domini multæ, ait quidam (*Thren. III, 32*), videlicet quia multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. Unus est Dei Filius, unum Verbum; sed miseria nostra multiplex, non modo magnam misericordiam, sed et multitudinem quærit miserationum. Forte tamen propter substantiam duplicem, qua subsistit humana conditio, cum sit utraque tam misera, non incongrue duplex hominum dicatur esse miseria, licet sit multiplex in utraque. Siquidem et corporis et cordis nostri tribulationes multiplicatæ; sunt sed ab utrisque necessitatus eruit, qui totum hominem salvum fecit. Cum ergo unus ille et unicus Dei Filius et jam nunc venerit propter animas, tollere scilicet peccata mundi, et secundo propter corpora sit venturus, ut ea resuscitet, et configuret corpori claritatis suæ; non incongruum fortasse videbitur ut, in eo quod Patrem misericordiarum bene dicimus, duplicem hanc misericordiam confiteamur. Suscipiens enim humanæ naturæ corpus simul et animam non modo semel *consolamini*, sed (ut supra quoque meminimus) *consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester*; ut videlicet certi simus quod utrumque

A sit salvaturus, qui neutrum suscipere est dedignatus.

5. Sed in quibus putas? Plane in populo suo. Ipse enim et nunc salvum faciet, non quoscunque, sed populum suum a peccatis eorum (*Matth. I, 21*): et postmodum non omne corpus, sed corpus humilitatis configurabit corpori claritatis suæ (*Philipp. III, 21*). Denique populum suum consolatur, utique populum humilem, quem salvum faciet: nam oculos superbiorum humiliabit. Vis nosse populum ejus? *Tibi derelictus est pauper* (*Psal. IX, 14*), ait homo secundum cor Dei. Sed et ipse in Evangelio: *Væ vobis*, inquit, *divites, qui habetis consolationem vestram!* (*Luc. VI, 24*). Utinam nos, dilectissimi, in eo populo inveniri semper optemus, non cui dicit: *Væ!* sed quem consolatur Dominus Deus suus. Quid enim consoletur eos qui suam habent consolationem? Non consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes, non consojantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolantur præsepe et stabulum amantes primas cathedras in synagogis; sed æquanimiter forte universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, **787** lugentibus, pannosis pauperibus cedere videbuntur. Cæterum audiant quod et ipsi quoque angeli non alios consolantur. Vigilantibus enim pastoribus et custodientibus vigiliis noctis evangelizatur gaudium novæ lucis, et eis natus dicitur esse Salvator. Pauperibus atque laborantibus, non vobis divitibus, qui vestram habetis consolationem, et væ divinum, inter ipsa vigiliis noctis dies sanctificatus illuxit; et nox sicut dies illuminata, imo in diem mutata est, dicente angelo: *Quia natus est vobis Salvator, hodie* (*Luc. II, 11*) utique, non hac nocte. Siquidem nox præcessit, dies autem appropinquavit, verus utique dies ex die, salutare Dei, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN NATIVITATE SS. INNOCENTIIUM.

SERMO UNICUS.

De quatuor continuis solemnitatibus, scilicet Nativitatis Domini, ac SS. Stephani, Joannis, et Innocentium.

1. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis (*Psal. CXVII, 26, 27*). Benedictum nomen gloriæ ejus, quod est sanctum (*Dan. III, 52*). Neque enim otiose venit quod ex Maria natum est Sanctum: sed copiose diffundit et nomen et gratiam sanctitatis. Nimirum inde Stephanus sanctus, inde Joannes sanctus, inde sancti etiam Innocentes. Utili proinde dispositione [alias dispensatione] triplex ista solemnitas Natale Domini comitatur: ut non modo inter continuas solemnitates devotio continua perseveret, sed et fructus Dominicæ Nativitatis exinde nobis velut ex quadam prosecutione evidentius innotescat. Siquidem advertere est in his tribus solemnitatibus triplicem quamdam speciem sanctitatis; nec facile præter hæc tria sanctorum genera, quartum aliud posse

arbitror in hominibus reperiri. Habemus in beato Stephano martyrii simul et opus et voluntatem: habemus solam voluntatem in beato Joanne; solum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi calicem salutaris, aut corpore simul et spiritu, aut solo spiritu, aut corpore solo. *Calicem quidem meum bibetis*, ait Dominus Jacobo et Joanni (*Matth. XX, 23*): nec dubium quin de passionis calice loqueretur. Demum cum Petro diceret: *Sequere me*, evidenter eum ad imitationem suæ provocans passionis; *conversus ille vidit discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem*, non tam gressu corporis, quam promptæ devotionis affectu. Et bibit ergo Joannes calicem salutaris, et secutus est Dominum sicut Petrus, etsi non omni modo sicut Petrus. Quod enim sic mansit, ut non etiam passione corporea Dominum sequeretur, divini fuit consilii, sicut ipse ait: *Sic eum volo manere donec veniam* (*Joan. XXI, 19-22*); ac si dicat: Vult quidem et ipse sequi, sed ego sic eum volo manere.